

„celebret, sive Divinis tantum praesens sit, pro Presbytero assistente, inservire debere digniorem de Capitulo juxta dispositionem Caeremonialis lib. 1 c. 7 et 8.“ Id ipsum confirmatum fuit in Beneventana et Nicen. sub die 26. Mart. 1671. Omitto alia Decreta, quibus id ipsum confirmatur. Atque ita constanter servatum fuit in Ecclesia Cathedrali Bugellensi. At nunquam desunt turbidi ingenii homines, qui dissidias quaerunt, alienaque jura usurpare conantur. Hoc novissime accidit in ea Cathedrali, in qua unus vel alter ex Canonicis, qui Dignitati assistentiam in solemnioribus dumtaxat competere contendit, et hoc munus digniori Canonico tribuit, si solemnia agit Episcopus in Festis secundae classis et in benedictione Candelarum, Palmarum et Cinerum. Jure igitur Dignitates ad sacram hanc Congregationem confugerunt ad jura servanda, quae ex Caeremonialis dispositione ipsis conveniunt, nequaquam Canonicis, nisi in earundem defectu.

Equidem non ignoro eruditissimum Catalanum in eam abisse sententiam, ut crederet Episcopo celebrante in Festis minoribus aut Feriis assistentiam competere non Dignitati sed Canonico, praesertim ubi Ordines non sunt distincti. Verumtamen tanti viri opinio omni destituitur fundamento. Ideo enim ea sequitur, quia talis est praxis Pontificiae Cappellae, quae tamen trahitur ad Ecclesiae Cathedrales. Pontificia enim Cappella suos habet peculiare ritus et caeremonias, nunquam pro aliis Ecclesiis exemplum afferendas, in quibus non Caeremoniale peculiare Augustini Patritii pro eadem Cappella dispositum, sed aliud quod Episcoporum dicimus servandum omnino est.

Jam ergo si Episcopis licet in quibuscumque Festis ac etiam diebus ferialibus Vesperas et Missam ponti-

ficaliter celebrare; imò si ad aedificationem Fidelium quammaxime decet, ut Solemnia ipsi agant in nonnullis Festis secundae classis, prout sunt Festa Annuntiationis, Conceptionis, Nativitatis B. M. V., Apostolorum, ac etiam alia, quae peculiariter sunt ob populi venerationem ac pietatem, et in quibus, si lubet, solemniter Episcopus celebrat, servanda omnino sunt quae in Caeremoniali praescribuntur, praesertim cap. 7. Quoniam aut cap. 34 num. 2 libri 2 post enumerata Festa, in quibus decet, ut Episcopus Pontificalia solemniter peragat, additur, vel etiam arbitrio suo in aliis Festivitatibus per annum quandocumque ei placuerit, palam fit, quod nihil immutandum sit, quoad Presbyterum assistentem, celebrante Episcopo in Festis etiam minoribus diebusque ferialibus.

Idem pariter dicendum est, quando ipsemet Episcopus candelas, cineres et palmas benedicit. Dignitates quippe, et Canonici in his quoque benedictionibus sacra induunt paramenta. Atqui, ut supra vidimus ex eodem Caeremoniali, dignior Canonorum, quando munere fungitur Presbyteri assistentis, hoc praestare debet Officium in habitu canonicali, et sine paramentis; facile consequitur non ad ipsum pertinere assistentiam in supra relatis sacris functionibus, verum id pertinere ad primam Dignitatem, pluviali assumpto, ad sedem episcopalem accedere, ministrare naviculam, porrigere aspersorium, deindeque thuribulum. Verbo cuncta perstringam. Primae Dignitatis est, vel ea impedita, alterius, quae succedit, praestare assistentiam Episcopo, dum sacra a Dignitatibus et Canonicis sumi debent indumenta, vel celebrante Episcopo, vel supra memoratas functiones peragente: Canonico vero digniori, dum assistentia debetur sine sacris paramentis, sed in habitu choralibus. Atque ita ad proposita dubia

respondens S. C. declaravit, intelligendam esse Caeremonialis Episcoporum dispositionem.

#### b) Extra Cathedralis.

Archidiaconum compelli posse per Episcopum, ut pontificaliter celebranti aut alia Pontificalia exercenti non solum in Cathedrali sed etiam in praescriptis Ecclesiis sibi assistat. n. 79 die 20. Dec. 1594.

Assistentiam semper et ubique (etiam extra Cathedr.) deberi Ordinario per digniorem de Capitulo et nullo modo per Vicarium general. n. 1172 die 20. Aug. 1639.

Assistentiam proprio Ordinario fieri debere per digniorem de Capitulo Cathedralis et non Collegiatae, quando Ordinarius accedat ad Ecclesias, quantumvis exemptas, sive ut Divinis assistat sive ut Pontificalia exercent. n. 1179 die 17. Sept. 1639.

Archiepiscopum, dum in pontificalibus celebrat in Ecclesiis extra Cathedr., propriorum Canonorum ministerio uti debere. n. 1464 ad 2 die 11. Julii 1643.

#### c) In Consecrat. ss. Oleor. in Coena Dom.

*Ad dubium:* Ad benedictionem Oleorum Feria V. in Coena Domini prima Dignitas, nempe Archipresbyter, officium facit Presbyteri assistentis in Pluviali, eodemque tempore vices gerit Archidiaconi, cui juxta Pontificale incumbit sistere se coram Antistite, et dicere alta voce: *Oleum infirmorum* etc. Interim Archidiaconus quum sit secunda Dignitas officio fungitur Diaconi assistentis cum Dalmatica. Ob praeeminentiam Archipresbyteri propriam, sui juris esse videtur descripto modo se gerendi in hac sacra actione. S. C. resp.:

„Negative.“ n. 4672 ad 17 die 12. Nov. 1831.

#### d) Defert libr. ab una ad alt. part.

Presbyter assistens dicto ab Episcopo Postcommunio a cornu Evangelii ad cornu Epistolae Missale transferre tenetur. n. 3625 ad 5 die 8. Apr. 1702; n. 3674 ad 5 die 23. Febr. 1704.

#### e) Incensatio.

Vd. *Diaconi assistentes* (Incensatio).

Presbyterum assistentem thurificari debere ante Vicarium generalem juxta Caerem. n. 1100 die 27. Nov. 1638.

Presbyter assistens Episcopo thurificari debet ante Diaconum primum assistentem. n. 3551 ad 19 die 13. Mart. 1700.

Archiepiscopo sol. celebrante Assistens praeferrari debet in thurificatione Canonicis pro Diacono et Subdiacono eidem Archiepiscopo inservientibus. n. 4358 ad 15 die 7. Dec. 1771.

Eadem thurificationis praelatio debita est (Archidiacono) quoties in habitu choralibus assistit cum duobus Canonicis Archiepiscopo cum cappa assistenti missae vel vespere. *Ibid* ad 16.

#### f) In Ordinatione.

*Ad dubium:* an interesse debeat Presbyter assist. in Pluviali (in Ordinatione)? S. C. resp.: Servetur Caer. Ep. l. I. c. 7; n. 4732 ad 2 die 6. Sept. 1834.

#### g) Paramenta.

Prima Dignitas Cathedr. Melevitanae assistens tanquam Presbyter Episcopo in Pontificalibus non valet se induere et exuere s. paramentis super solio in loco proprii scamni, sed descendere debet ad immediatum gradum. n. 4356 die 17. Aug. 1771.

Cf. *Stola Presbyt. ass. Episcopo.*

#### h) Pax.

Vd. *Pax Cleri* (decr. n. 33, 1055).

## i) Publ. Indulgentiam.

Praepositus, Episcopo pontificaliter celebranti assistens, publicat Indulgentias, ut dicitur in Caeremon. lib. I. c. XXV. n. II. n. 650 ad 2 die 18. Julii 1626.

Episcopus *celebrans* stare debet cum mitra, dum Assistens indulgentiam publicat (Caer. Lib. I. c. XXV.) n. 2707 ad 3 die 4. Aug. 1674.

Vd. *Indulgentia Episcopi* (Public.)

## k) Porrig. naviculam.

Vd. *Instructio Clem.* §. XIX. n. 13. *Incesum* (quis porrigit etc.); *Diaconus* (*ministrat incens.*)

## l) Sedes.

Cf. *Sedes Dignitat. etc.*; *Sedes assistent. Episcopo.*

*Ad dubium*: An Presbyter assistens Episcopo in Solio, vice scabelli uti possit sede camerali, vel simpliciter lignea vel imbuta, et corio cooperta, renovanda toties, quoties inepta evasit ad usum? Et quatenus negative:

An saltem toleranda sit immemorabilis consuetudo eadem adhibendi?

Et Emi. P. S. eidem C. Praepositi... respondendum censuerunt, ut infra, videlicet:

„Negative in omnibus.“

Atque ita responderunt et statuerunt die 17. Sept. 1822.

Facta autem de praemissis SSmo. D. N. Pio VII. P. M. relatione per infrascriptum Secretarium, S. S. cuncta benigne approbavit, Decretumque desuper expediri et publici juris fieri mandavit; Locorum Ordinariis stricte praecipiens, ut omnimodam illius observantiam urgeant. n. 4590 ad 3 et 4. Die, Mense et Anno, quibus supra.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM:

Hac super re tam clara est Caeremonialis libri dispositio, ut vix credam diversam alicubi inductam fuisse con-

suetudinem. Quod si revera in aliqua Cathedrali invaluerit, ne morosus sit Episcopus, sed mediis a jure datis id corrigat, quod devium a jure est. Simplex scabellum parari debet pro assistente Presbytero, vel a dexteris vel a sinistris, prout palitur loci situs, ante faciem Episcopi in Cathedra sedentis. Ita lib. I. cap. 7 num. 2: *Sedebit in aliquo scabello prope Episcopum*; et num. 4: *Sedente vero Episcopo, et ipse sedet super scabellum*; et infra: *Si vero forte Episcopus celebrans non in sede propria, sed in Faldistorio sederet, tunc ipse Presbyter assistens sedebit in aliquo scamno prope Altare*; et paulo post: *Si sermo habebitur per Episcopum... in propria Sede sedebit* (Presbyter assistens) *in scabello suae assistentiae*; et num. 6 in fine: *Habebit locum idem Presbyter assistens prope sedem Episcopi in scabello*. Igitur si Caeremoniale disponit, et toties repetit, quod Presbyter sedeat *in scabello*, quisnam sibi arrogare poterit arbitrium adhibendi sedem, quam cameralem dicimus, pro *scabello*. Haud enim licet Dignitatibus et Canonicis in Choro coram Episcopo aliter sedere, nisi in scamnis, vel scabellis, ut pluries S. R. C. sancivit, praesertim vero in una *Burgi S. Sepulchri* 4. Apr. 1699 et in *Terulen.* 20. Aug. 1729, multo minus licere debet assistentibus Episcopo in Throno, in quo pro iisdem nonnisi scabella adhibenda esse jubet liber Caeremonialis; quin valeat consuetudo, aut privilegium. Id tam verum est, ut S. C. in Oriolen. 24. Aug. 1630, non obstante consuetudine introducta a tempore Pii IV. sedendi, non in nudo scamno, sed in scabellis serico villosa coopertis, sancivit, *non licere in casu proposito Canonicis Cathedralis, quando assistentiam faciunt Episcopo, sedere in scamnis coopertis, sed sedere debere super scabellis nu-*

*dis juxta praescriptum Caeremonialis Episc. cap. 8 lib. 1, non obstante allegata consuetudine, quae fuit sublata per fel. rec. Clementem VIII. in sua Bulla, in principio Caeremonialis relata.* Si id satis non est, ne sit, qui secum reputet tueri posse abusum specioso consuetudinis nomine; nam praeter laudatam Clementis VIII. Constitutionem, PP. Summi, *Benedictus XIII.* et alter ejusdem nominis *XIV.*, qui novas editiones emendati Caeremonialis curarunt, districte jusserunt ejusdem observantiam, *non obstantibus quarumvis Ecclesiarum, etiam jramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et Literis Apostolicis etc.*, quibus specialiter et expresse derogatum esse declarant. Jure igitur ad duo haec dubia negativum datum S. C. responsum.

## m) Tenet librum.

Primam Dignitatem non teneri ad sustinendum librum Episcopo divina peragenti pontificaliter et in cantu, nisi quando Episcopus aliquid *canit*, non autem quando inter Pontificalia Solemnia aliquid legit; tunc enim hujusmodi onus spectat ad Cappellanum. n. 1873 die 16. Mart. 1658; n. 847 die 16. Febr. 1630; n. 4235 ad 1 die 15. Sept. 1753.

Episcopo celebranti in Pontificalibus prima Dignitas munus Assistentis peragens, tenetur super altare sustentare librum. n. 2870 die 26. Nov. 1678.

Presbyter assistens Episcopo solemniter celebranti et *intonanti Antiphonam, Gloria, Credo et cantanti Orationem*, debet ipsemet actualiter et non moraliter (nempe leviter tangendo) librum supra suum caput tenere. n. 2503 ad 5 die 31. Maji 1670; n. 2627 die 6. Maji 1673.

Episcopo solemniter celebrante As-

sisens in Collectis tenetur solus et nemine adjuvante sustinere librum. n. 2685 ad 1 die 3. Mart. 1674; n. 3161 ad 3 die 3. Apr. 1688.

Satis est, ut Presbyter assistens libro per Cappellanum manibus elevato caput submittat. n. 2805 ad 3 die 14. Nov. 1676.

*Ad dubium*: an prima Dignitas Cathedralis Spoletanae Episcopo hymnum et reliqua *intonaturo* debeat librum super caput sustinere adjuvantibus hinc inde ministris, vel sufficiat parumper caput supponere libro, quem aliquis Cappellanus.. manibus sustineat? S. C. resp.: Servetur Caerem. Lib. I. c. 7 n. 3 n. 3623 ad 2 die 18. Mart. 1702; n. 3625 ad 1 die 8. Apr. 1702; n. 3674 ad 1 die 23. Febr. 1704; n. 3845 ad 3 die 27. Febr. 1712; n. 4358 ad 14 die 7. Dec. 1771.

Prima Dignitas (Presbyter) assistens tenetur Canonem tenere Episcopo canente. n. 3625 ad 4 die 8. Aprilis 1702.

Prima Dignitas (Presbyter) assistens non tenetur librum sustinere in benedictionibus palmarum ac candelarum, nec in die commemorationis Omnium fid. def., dum super sepulchra Coemeterii seu ad castrum doloris canuntur Orationes. n. 3625 ad 6 et 7 die 8. Apr. 1702.

*Ad dubium*: an canente Episcopo *Te Deum etc.* pro gratiarum actionibus teneatur Dignitas sustinere librum? S. C. resp.: Negative, nisi hymnus *Te Deum* cantetur ab Episcopo inter Misarum Solemnia, ipsomet Episcopo celebrante. n. 3674 ad 1 die 23. Febr. 1704.

*Ad dubium*: An Archidiaconus, aut Presbyter assistens debeat sustinere librum, dum Episcopo celebranti assistit, seu potius sufficiat, ut illum tangat?

Et Emi. P. S. eidem C. Praepositi... respondendum censuerunt, ut infra, videlicet:

„Servetur dispositio Caeremonialis lib. I. cap. VII. num. 1, pluribus hujus S. C. Decretis confirmata.“

Atque ita responderunt et statuerunt. n. 4590 ad 12 die 17. Septembris 1822.

Facta autem de praemissis SSmo. D. N. Pio VII. P. M. relatione per infrascriptum Secretarium, S. S. benigne approbavit Decretumque desuper expediri et publici juris fieri mandavit; Locorum Ordinariis stricte praecipiens, ut omnimodam illius observantiam urgeant. Die, Mense et Anno, quibus supra.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM:

Tam clara est dispositio Caeremonialis *lib. 1 cap. 7* de Presbytero assistente, dum Episcopus Vesperas et Missas solemniter celebrat, ut nihil sit, quod elucidationem requirat. Tenetur namque Assistens librum supra caput sustinere dum Episcopus antiphonam *intonaturus* est, vel in Missa, dum *cantu* dat initium hymno angelico, symbolo etc. Legem Caeremonialis pluries confirmavit S. R. C. praesertim vero *Pharen. 31. Maji 1670*. Asculana in Apulia *3. Mart. 1774*. Spoletana *18. Mart. 1702*. Lunen. Sarzanen. *27. Febr. 1712*. Quinimo nec prodesse declaravit quamlibet consuetudinem in contrarium in Alexandrina *8. Apr. 1702*.

n) Tenet libr., dum incens. altare.

Prima Dignitas (Presbyter) assistens sustinere debet Missale, dum in missa ab Episcopo thurificatur altare. n. 3625 ad 3 die 8. Apr. 1702; n. 3674 ad 2 die 23. Febr. 1704.

5) Presbyteri.

*Ad dubium:* an Plebano Ecclesiae Piscen, dum canit missam, liceat uti assistente pluviali induto? S. C. resp.:

licere attenta consuetudine. n. 2630 ad 1 die 6. Maji 1673.

Cum Episcopus Pistorien. et Praten. exposuerit, occasione compilationis Dioecesanæ Synodi comperisse ab usum, quo simplices Sacerdotes Missam solemnem celebrantes, etiam in Dioecesi ad eorum libitum ultra Diaconum et Subdiaconum, sub praetextu immemorabilis consuetudinis, adhibent Presbyterum sibi cum pluviali assistentem: cumque S. R. C. enixe supplicaverit pro declaratione hujusmodi Dubii: An usus praedictus sit permittendus, ut simplices Sacerdotes Civitatis et Dioecesis Pistorien. et Praten. praeter Diaconum et Subdiaconum adhibeant in Missa solemniter Presbyterum assistentem?

Eadem S. C. inhaerendo aliis Resolutionibus in Similibus editis: „Praefatum usum nequaquam permittendum, sed omnino tamquam ab usum prohibendum esse mandavit.“

Et ita decrevit. n. 3946 die 15. Martii 1721.

*Ad dubium:* Utrum Sacerdos a Vicario Apostolico morti proximo electus ad regimen provisorium Vicariatus, et deinceps a S. C. de Propaganda fide renunciatus superior interim Vicariatus ipsius, in tantum, et ratione hujusmodi delegationis, jus habeat exigendi in celebratione Missae sollemnis honorem Presbyteri assistentis et Palmatoriae?

S. eadem C.: „Negative in omnibus“ respondendum censuit. n. 5211 ad 5 die 21. Julii 1855.

6) Presbyteri caecutientis.

Vd. *Sacerdos caecut.* (decr. n. 4594 ad XI.)

7) Presbyteri noviter consecrati.

Vd. *Cappa Canon. Cath.* (decr. n. 4536.)

MATHELICEN.

S. R. C. pro opportuna solutione sequentia Dubia proposuit Aloysius

Carbonari Sacerdos Cong. Oratorii Mathehlicen. nimirum:

1. An celebrante solemniter prima vice novo Sacerdote Patrinus seu Presbyter assistens possit in Dominicis antea aspergere Populum Aqua benedicta, ac deinde ad Sacristiam accedere et Sacerdotem ipsum ad Altare adducere cum Ministris?

2. An subtus Pluviale ipse Patrinus possit Stulam gestare, ac Fidelibus cum Patena ministrare, quoties Eucharistica Communio instituenda est?

3. An Patrinus debeat, vel saltem possit Celebrantem incensare loco Diaconi?

Et S. eadem C. ad Vaticanum hodierna die in Ordinario Coetu coadunata, referente Secretario, rescripsit:

Ad I. „Negative in omnibus.“

Ad II. „Spectare ad Diaconum utrumque.“

Ad III. „Negative.“ n. 4807 die 11. Mart. 1837.

8) Presbyteri inhabilis.

Vd. *Sacerdos inhabilis.*

9) Quando incensat?

Vd. *Assistens Presbyteri novit. consecrati.*

ASSISTENTES.

1) Episcopi assistentis.

Vd. *Episcopus assist. missae sol.; Pax Episcopi Titularis.*

2) In Solio Pontificio.

Urbis.

COLLEGIUM EPISCOP. ASSISTENTIUM.

Cum de Ordine inter Episcopos Pontificio Solio Assistentes servando quaestio haud ita pridem orta fuerit: utrum nempe a sua ad Episcopatum promotione, an potius a vocatione, quam dicunt, ad assistentiam, praecedendi jus iidem nanciscantur, de quo praescriptio, quae a Caeremoniali S. R. E. lib. 3. cap. 17. profertur, ambigendi

locum relinquit, praeces ad SSmum. D. N. Pium VII. P. M. perlatae sunt, ut, ad omnem dubitationem tollendam, pro ea, qua praestat, sapientia et auctoritate, de controversia decerneret, legemque in posterum tenendam pronuntiaret. Re itaque ipsius jussu ad S. R. C. delata, cunctisque infrascripto Secretario referente, ad eam probe aestimandam propositis rationibus, quae utrinque afferebantur, Emi. Patres eidem C. praepositi unanimes censuere: „Firmo extante praelationis jure Archiepiscoporum supra Episcopos, jus illud inter aequales a vocatione ad assistentiam, non autem a promotione ad Episcopatum esse repetendum; atque hanc Regulam in posterum omnino adhibendam esse, quoties sacris functionibus collegialiter intersunt, declararunt.“ Die 7. Septembris 1816.

Facta autem per infrascriptum S. R. C. Secretarium de praemissis SS. D. N. Relatione, Sanctitas Sua sensum S. C. approbavit, confirmavit atque ita in posterum servari mandavit, n. 4525 die 10. Sept. 1816.

ASSISTENTIA.

1) In Ecclesia parochiali.

Parochus non potest cessante speciali et legitimo titulo, ex solo jure parochialitatis Rectores et Cappellanos Ecclesiarum Confraternitatum compellere invitos ad assistendum functionibus Ecclesiae parochialis. n. 3670 ad 25. die 12. Jan. 1704.

TRANEN.

Ex asserta diuturna consuetudine pene immemorabili in Ecclesiis S. Sepulchri et S. Jacobi, vulgo di Barletta, intra fines Archidioecesis Tranen illud est in more positum, ut dum in Solemnioribus Missas Solemnes et Vesperas celebrent earum Rectores, praeter